

68. His praenotatis dico, omnes aut ferme omnes hos incredulorum cavillos a ss. patribus iam pridem fuisse praecoccupatos, et refutatos, quorum vestigiis insistens R. AD PRIMUM: Christum ad nuptias invitatum fuisse, iisque accubuisse, nullo modo improbabile est; ut Woolstonus blasphematur. Nam cum negari non possit, multis eum notum in Galilaea fuisse, et ipsorum quoque publicanorum, peccatorumque consuetudinem aliquando non vitaverit, mirum non est, quod ad nuptias invitatus fuerit, et iisdem accubuerit. Unde recte s. Chrysostomus (1) inquit: *Iam dixi, eum in Galilaea notiore fuisse, quare vocant eum ad nuptias, ipseque adest. Non enim ad dignitatem suam respiciebat, sed erat ad beneficium nobis infereendum paratus. Nam qui non dignatus est formam servi accipere, nullo minus dedignabitur ad nuptias servorum venire.* Altera quoque causa fuit, cur Christus ad nuptias invitatus accesserit; quam s. Augustinus (2) assignat, dicens: *Quod Dominus invitatus venit ad nuptias etiam, excepta mystica significatione, confirmare voluit, quod ipse fecit nuptias. Futuri enim erant, de quibus dixit apostolus (3): PROHIBENTES NUBERE, et dicentes, quod malum essent nuptiae, et quod diabolus eas fecisset. Vide hac de re etiam Salmeronem (4).*

In celebratione autem nuptiarum apud hebraeos effraenem fuisse morum licentiam, undenam tandem Woolstonus novit? Contrarium profecto ii testantur, qui de celebra-

(1) Homil. 21 in Ioannem, n. 1, alias Homil. 20.

(2) Tract. 9 in cap. 2 Ioan.

(3) 1. Timoth. c. 4, v. 5.

(4) Tom. 6, tract. 6 de miraculis Christi, pag. 35.

(5) Tales sunt Leone di Modena de' riti ebraici, part. 4, cap. 5. Ioannes Buxtorfii

tione nuptiarum iudaicarum multum et copiose scripserunt (5). Similiter s. Gaudentius brixienis episcopus (6) haec ex traditione se comperisse scribit: *Nuptiae apud iudeos cum ferent (quantum traditione comperimus) dabatur de sacerdotali ordine, qui morem disciplinae legitima gubernaret, pudorisque curam gereret coniugalis, simul etiam conviviorum apparatus ministros atque ordinem dispensaret, et pro hoc officio architriclinus, id est triclinii praepositus dicebatur. Huic ergo gustum vini ex aqua facti iubentur conviviorum ministri portare* Deinde eo ipso quod Christus erat homo gravis atque austerus, quemadmodum Woolstonus dicit, si qui fortasse convivio interfuissent, qui liberius loqui, aut petulante morum licentia uti vellent, eorum audaciam Servator castissimus praesentia sua reprimere facile poterat.

69. Ad 2 responsio patet ex verbis s. Gaudentii modo citatis, ex quibus intelligimus, quod vox graeca *ἀρχιτρικλίνος* architriclinus Ioan. cap. 2 non significet promumcondum, seu oeconomum (*maggi-rdomo*), qualem divites et nobiles habere solent, sed unum de ordine sacerdotali, qui, ut omnia honeste et ordinate fiant, nuptiis praest. Talem autem datum esse tam in nuptiis pauperum, quam divitum iudaeorum, paritas rationis evincit; ut cuius finem instituti huius officii expendenti facile patet. Patet etiam aliam responsionem affert cl. Buxtorf (7) dicens, graeca voce *architriclinus* proprie significari eum,

filium, dissert. de Sponsalibus, § 45, et se s. Seldenus uxor hebraica, seu de nuptiis divortii lib. 2, c. 11. et seq. et Moro ni liber inscriptus: Via della fede mosta agli Ebrei, part. 2, cap. 60.

(6) De lectione Evangelii, tract. 9.

(7) Loc. cit.

qui curam gerit instituendi convivii, seu qui omnia parat, ordinat, et disponit ad instruendum convivium. Porro in nuptiis Cana Galilaeae, inquit, hanc curam in se suscepit aliquis amicus aut cognatus sponsi, non vero quidam oeconomicus, aut praefectus rei oeconomicae, quales tantum in palatiis aut domibus praedivitem aut illustrium personarum reperiuntur.

70. Ad 3 et 4 respondemus: Hoc miraculum aquae in vinum conversae stupent quidem et negant tanquam falsum et fictitium Woolstonus, Horus, Voltairius, alique increduli, indeque cavillationes omnino ineptas confingunt, quibus manifestam veritatem illius prodigii apud imbecilles et imperitos suspectam faciant. At miraculum (uti s. Augustinus (1) eleganter ait) *Domini nostri Iesu Christi, quo de aqua vinum fecit, non est mirum eis, qui nocerunt, quia Deus facit. Ipse enim fecit vinum illo die in nuptiis in sex illis hydriis, quas impleri aqua praecepit, qui omni anno facit hoc in vitibus. Sicut enim quod miserunt ministri in hydrias, in vinum conversum est opere Domini; sic et quod nubes fundunt, in vinum convertitur eiusdem opere Domini.* Porro recte et ingeniose observat s. Thomas, quod ipsa vasa, seu sex illae hydriae, quae in patrato illo miraculo adhibitae fuerunt, non obscure probent, aquam tunc in vinum vere mutatam esse, et non solum a relicto, vel admixto aliquo liquore saporem vini induisse. Vasa ista, inquit doctor angelicus (2), *deferuntur ad tollendam miraculi suspicionem - propter eorum puritatem, ne possit aliquis suspicari, quod aqua saporem vini sumpsisset*

ex faecibus vini prius in eis repositi (nam vasa illa ERANT SECUNDUM PURIFICATIONEM) et ideo purissima oportebat ea esse. Ubi sciendum, quemadmodum idem s. doctor eodem loco ait, quod - iudaei observabant multas ablutiones corporales, et baptismatu calicum et vasorum. Unde quia erant in Palaestina, in qua est defectus aquarum; habebant vasa, in quibus servabatur aqua purissima, qua se et vasa crebro lavarent, et ideo (evangelista) dicit, quod ERANT IBI SEX LAPIDEAE HYDRIAE, id est vasa ad conservandam aquam, ab hydros, quod est aqua, POSITAE SECUNDUM PURIFICATIONEM IUDAEORUM, id est ad usum purificationis.

Addit doctor angelicus cit. loc. adhuc aliam rationem, ob quam vasa illa (nempe *sex hydriae*.... *capientes singulae metretas binas vel ternas*) omnem suspicionem ficti miraculi removerint, nimirum non solum propter eorum puritatem, sed etiam propter eorum capacitatem sat amplam. Quis enim credat, Christum aut tantum alieni liquoris, quo aquae in sex hydriis lapideis contentae saporem vini induceret, secum ad nuptias attulisse, aut, etiamsi attulisset, eumque aquae illi miscuisset, hanc fraudem nec ab architriclino, nec ab iis, qui hydrias aqua impleverunt usque ad summum, fuisse observandam? Hinc s. Thomas loc. cit. ait: *Vasa ista deferuntur, ad tollendam miraculi suspicionem tum propter eorum puritatem.... tum etiam propter vasorum quantitatem, ut evidenter pateat, quod aqua tot vasorum in vinum mutari non potuisset, nisi virtute divina.*

At opponit Woolstonus auctoritatem s. Chrysostomi, et mala fide tanquam sententias huius s. patris

(1) Tract. 9 in cap. 2 Ioan.

(2) Lect. 1 in cap. 2. Ioan.

proponere non dubitat ea, quae idem s. doctor expresse refutat. Nam s. Chrysostomus in verbis, ad quae Woolstonus per summam fraudem respexit, non promit, quid ipse sentiat, sed calumnias impiorum hominum confutandas in medium profert, et mox confutat. *Hic rursus*, inquit s. Chrysostomus (1), *quidam cavillantur dicentes, ebriosum cetum fuisse, hebetem gustantium sensum, qui rem non possent capere; nec iudicium ferre, ita ut nescirent, an vinum, an aqua id esset: nam quod ebrii essent, ipse architriclinus declaravit.* Sed mox hanc obiectionem s. doctor refellit, subiungens haec verba: *Ridiculum plane illud est: verum hanc illorum suspicionem iam sustulit evangelista. Non enim convivus ait de illa re sententiam tulisse, sed architriclinum, qui sobrius adhuc nihil gustaverat. Scitis quippe omnes, quibus conviviorum cura committitur, esse omnium maxime sobrios, unam hanc curam habentes, ut cum recto ordine omnia disponantur. Ideoque sensum illum vigilem, et sobrium ad rei gestae testimonium evocavit. Non enim dixit: infundite convivis vinum, sed FERTE ARCHITRICLINO - UT AUTEM GUSTAVIT ARCHITRICLINUS AQUAM VINUM FACTAM etc. Ioan. cap. 2, v. 8 et 9.*

Ex hoc autem prodigioso Christi facto nequaquam consequitur, Christum vel intemperantiam illorum fovisse, qui invitati fuerant, vel ipsis bibendi plusquam par est, ansam ac incitamentum dedisse; nam tanti miraculi admiratio cuinam tandem Christi venerationem non conciliare atque temperantiam inspirare non debebat?

71. Ad 5 respondeo cum cl. Bul-

(1) Homil. 22 in Ioan., alias homil. 21.

(2) Loc. cit.

(3) Loc. cit. pag. 41.

let (2), Salmerone (3) aliisque interpretibus s. Scripturae, et dico, vocem *inebriare* in s. Scriptura non semper significare crapulam: sed non semel habet aliam significationem minus odiosam, solumque significat profusiores laetitiam et moderatam satietatem ex rationabili fine intentam. Sic sponsus in canticis (4) ait ad amicos suos: *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini carissimi.* Neque tamen cogitare licet, quod eos ad crapulam et intemperantiam invitet. Et in psalmis (5) legimus: *Visitasti terram et inebriasti eam*, id est, satiasti. Et in lib. Genesis (6) dicitur de convivio exhibito a Ioseph fratribus suis: *Biberuntque, et inebriati sunt cum eo.* In quem Scripturae locum s. Augustinus ita commentatur: « Solent enim hinc ebrii adhibere testimonii patrociniū; non propter illos filios Israël (seu Iacobi patriarchae) sed propter Ioseph, qui valde sapiens commendatur: sed hoc verbum (inebriati sunt) et pro satietate solere poni in Scripturis, qui diligenter adverterit, multis in locis inveniet. Unde est illud: *Visitasti terram et inebriasti eam*: - eoquod in laude benedictionis hoc positum est, et donum Dei commemoratur, apparet hanc ebrietatem saturitatem significare. Nam ita inebriari, ut inebriantur ebrii, nec ipsi terrae utile est, quoniam (terra) maiore quam satietati sufficit, humore corrumpitur, sicut vita ebriosorum, qui non satietate se replent, sed mergunt diluvio. » Itaque similiter dicendum, quod vox *inebriati* Ioan. c. 2 v. 10 non temulentiam, sed moderatam satietatem in sensu explicato significet; prout interpretes hunc locum recte exponunt. Audia-

(4) Cap. 5, v. 1.

(5) Psalm. 64, v. 10.

(6) L. 1. qq. in Genesim, quaest. 144.

mus *Cornelium a Lapide* ita loquentem: « Et cum inebriati (id est exhilarati) fuerint. Ebrietas enim saepe in Scriptura vocatur liberalior potus mentem exhilarans, sed rationis usu eam non privans: si enim convivae hi vere fuissent ebrii, utique eis lesus aquam in vinum non mutasset: fovisset enim et auxisset eorum ebrietatem: sed potius potioni finem imposuisset, eosque domum amandasset. Idem fecisset b. Virgo. »

Ceterum, quod Christus miraculo illo in nuptiis Canae Galilaeae patratu convivis non dederit incitamentum ad ebrietatem, iam diximus et probavimus supra in fine responsionis ad 4.

72. Ad 6. Ex variis variorum responsionibus quas prolixè et perquam erudite recenset Salmeron (1), seligo illam, quam ipse hic auctor tanquam unam ex melioribus, et patrum auctoritate magnopere munitam amplectitur. Ait nimirum, quod Christus (si tenor verborum ipsius spectetur) asperius matrem sit allocutus, veluti repulsam dando, et tanquam matrem eam non agnoscendo: non ut matrem instrueret, quae instructissima erat et edocta a Deo; sed ut instrueret circumstantes et posteros omnes, quod praesertim praecones evangelici et personae sacrae non propter gloriam carnis operari, sed in gloriam Dei omnia referre debeant. *Quid ergo mihi et tibi?* id est, non debet maculari affectu carnis quod propter Deum sincero et puro corde fieri debet: ut instruat pontifices et episcopos, dum rogantur a consanguineis ut distribuunt episcopatus aut sacerdotia aut alia quaevis ministeria, nihil carni tribuere aut sanguini, sed potius intrepide dicant: *Quid*

mihi et tibi est, mater, aut frater, vel soror? etc. Et licet Christus aspere videatur locutus matri, ipsa tamen intus intellexit se esse exauditam. Et ita nullo modo verbi austeritate contristata, magna cum prudentia et modestia ad ministros convivii conversa dixit: *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Atque hunc sensum confirmant imprimis quidem s. Iustinus M. (2): « Illud, inquit, quid mihi tecum est, mulier? non ad obiurgationem dictum est, matri a Salvatore, sed quasi hoc demonstrare (seu ad matrem dicere) vellet: Non nos ii sumus, qui curam susceperimus vini, quod in nuptiis consumitur; tamen prae amore, si vis, ne deficiat eos vinum, dic matris ut faciant quae ego eis dixerò, et videbis eis non desse vinum: id quod etiam accidit. Non ergo verbis matrem obiurgavit, cum eam factis honoravit. » Similiter s. Bernardus (3) ita eloquitur: « Sed manifeste iam video (o Domine) quod non velut indignans, aut confundere volens virginis matris verecundiam dixeris: *Quid mihi et tibi?* cum venientibus ad te (iuxta matris praeceptum) ministris, nihil cunctatus facias, quod illa suggessit. Ut quid ergo, fratres, ut quid (Dominus) sic respondeat prius? Utique propter nos, ut conversos ad Dominum iam non sollicitet carnalium cura parentum, et necessitudines illae non impediunt exercitium spirituale. Quamdiu enim de mundo sumus, debitores nos constat esse parentibus: at postquam reliquimus nosmetipsos, multo magis ab eorum sollicitudine liberi sumus. » Et s. Gaudentius brixensis episcopus, s. Ambrosio coaevus, dum memorata Christi ad matrem suam verba, *Quid mihi et*

(1) Loc. cit. pag. 35 40.

(2) L. qq. et respons. q. 156.

(3) Sermone 2 in Dominic. 11. post Epiph.

tibi, mulier? exponit (1), « ipsa, inquit, beatissima Virgo, agnito responsionis huius profundo mysterio, intellexit non suggestionem suam praesentem aspernanter acceptam, sed secundum illam spiritalem rationem in mysterio tunc dilatam. Ceterum nunquam manderet ministris, quodcumque dixerit vobis, facite, nisi Spiritu sancto post partum divinum plena, non solum responsionis Christi virtutem cognovisset, verum etiam futuri ab eo tunc ex aqua vini ordinem universum praevidisset. Quid enim lateret sapientiae Dei matrem, capacem Dei etc. » Ubi notandum quod, quamvis s. Gaudentius illis Christi verbis, *quid mihi et tibi, mulier?* alium sensum misteriosum assignet, quam sit ille quem nos assignavimus, prout patebit legenti totum illum tractatum huius s. patris, tamen, ut ex modo citato eiusdem discursu liquet, nobiscum in eo convenit, quod illa Christi ad matrem verba non sint huius obiurgatio, sed latentis mysterii, quod b. Virgo probe intellexerat, involuerum.

73. INSTANT teste cl. *Bullet* (2) increduli, et aiunt: si filius matrem suam compellaret nomine *mulier*, merito iudicaremus, eum irreverenter et contemptim alloqui matrem suam: ergo a pari. R. Mala est argumentatio a significatione alicuius vocis in una lingua ad significationem eiusdem vocis in omnibus aliis linguis. Nam non omnia nomina eandem apud omnes populos significationem habent, et fieri potest, ut aliqua vox diverso sensu sumatur. Ex. gr. vox *tyrannus* iuxta idioma graecum legitimum principem significat; apud nos vero pro illegitimo oppressore populi ac-

(1) Tract. 2 in Ioan.

(2) Réponses critiques, tom. 1, n. 64.

cipitur. *Latro* iuxta idioma latinum olim significabat etiam militem; hodie autem tantum ponitur ad significandum hominem, qui furatur et praedas facit. Et sic de aliis eiusmodi exemplis loquendo.

Hoc praenotato, facile concedimus, quod nomen *mulier* in nostra vulgari lingua quandoque contemptum sonet: sed apud hebraeos saepe non solum nullum contemptum, sed potius honoris titulum significat, qui voci italae *donna*, vel gallicae *dame* quoad significationem respondet. Et profecto non est ullo modo verisimile, quod Iesus Christus, dum in cruce pendens matrem suam dilecto discipulo *Ioanni* tam tenero amoris affectu commendavit, illam contempserit; appellabat autem eam tunc nomine *mulier*. Porro graeci et romani nomine *foemina* vel *mulier* etiam personas principes, ipsasque reginas appellabant, dum eas alloquebantur. Sic in L. I. Aeneidis, versu 368 reginae *Dido* nomen *foeminae* tribuitur: *Dux foemina facti*. Et in Cyropaedia *Xenophontis* ad initium libri 5 *Araspas dux Cyri* reginam *Susorum* nomine *mulier* appellat, et paullo infra alius aetate grandior dux captivam hanc reginam solaturus, ad eam ait: *Ἐξάρρη δὲ γυναῖκα bono animo esto, mulier.*

*74. SCHOLION. Apud cl. *Bulletum* (3) rabbinus quidam, qui contra catholicam religionem librum scripsit hoc titulo *Nizzachon* (4), contendit, quod Christus matrem suam appellando *mulierem*, hoc ipso indicaverit, eam non perpetuo mansisse virginem. Verum si hic rabb. attentius s. Scripturam legisset, facile suum errorem, quo putavit, nomen *mulier* semper significare foeminam quae virginitatem amisit,

(3) Loc. cit.

(4) *Tela ignea Satanae*, tom. 2, p. 222.

correxisset. Nam *Eva* Genes. 2, v. 22 in instanti quo formata est, adeoque, dum adhuc erat virgo, dicitur mulier: *Et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: et adduxit eam ad Adam*. Item filia adhuc in paterna domo existens, vocatur mulier num. 30, v. 4 ubi legimus: *Mulier si quidpiam foverit et se constrinxerit iuramento, quae est in domo patris sui, et in aetate adhuc puellari etc.* Taceo alia Scripturae loca, quae hanc in rem adduci possent. Unde *Origenes* (1) recte ait: « Apostolus (ad Galat. 4, v. 4), Mariam mulierem non pro corruptela integritatis, sed pro sexu indicio nominavit. . . Est porro et aetatis istud vocabulum, eius scilicet, qua foemineo sexui de annis pubertatis exceditur, et ad id tempus, quo habilis viro videatur transitus. Sicut e contrario vir appellatur is, qui adolescentiae tempus excesserit, etiamsi uxorem nondum habeat, cuius vir esse dicatur: quo nomine appellari solent etiam ii, quos foemineae admixtionis macula nulla perstringit. Si ergo recte dicitur vir ille pro sola temporis aetate. . . quomodo non eadem consequentia etiam virgo, quae intermerata permansit, pro sola aetatis maturitate mulier nominetur? » Et s. *Gaudentius* (2) Mariam asserit mulierem appellari *veritate sexus, non detrimento integritatis*; ac paullo post addit haec verba: « Hoc totum pro beatitudine Mariae dixerim, cum illam Christus mulierem nuncupaverit, quae divino partu sic coepit esse mater, ut virgo sacrator permaneret. » Denique s. *Hieronymus* (3) pariter apertissime ait: « Quod apostolus (ad Galat. cap. 4, v. 4) sanctam et beatam matrem Domini, mulierem, non virginem

(1) Homil. 8 in Leviticum, prepe initium.

nominavit, hoc idem et in evangelio *κατὰ Ματθαῖον* scriptum est, quando uxor appellatur *Ioseph*, et ab ipso Domino quasi mulier increpatur. Non enim necesse erat semper quasi caute et timide virginem dicere, cum mulier sexum magis significet, quam copulam viri, et secundum intelligentiam graecitatis, *γυνή* tam uxor, quam mulier valeat interpretari. »

Ex his igitur patrum testimoniis et rationibus, ac ex ipsis s. Scripturae textibus supra adductis patet, quod nomen *mulier* in s. Scriptura significet quidem sexum, vel (ut *Origenes* vult) etiam aetatem personae de qua sermo est, non autem semper foeminam, quae non amplius virgo sit.

75. QUÆRES XIX. *Quid Woolstono paralytici miraculosam curationem apud probaticam piscinam* (Io. cap. 5) *irridenti respondendum?* R. Etsi magna patientia opus sit tum nobis ad referendas, tum lectoribus ad audiendas tot impii hominis contra memoratum Christi miraculum effusas blasphemias: tamen ad ostendendam *Woolstoni*, aliorumque ei similium tum ignorantiam, tum petulantiam, operae pretium est ad singula eius dicteria paullo distinctius respondere. Illud ergo I. quaerit *Woolstonus*, qua de causa probaticae piscinae solus *Ioannes* mentionem fecerit; *Iosephus* autem, qui conscripsit historiam iudaicam, nihil de illa tradiderit? numquid hoc clarum indicium, quod piscina illa, et miraculum apud eandem patrum sint conficta? II. Si *Ioannes* suae narrationi probabilitatem conciliare voluisset, profecto, inquit *Woolstonus*, innuere debuisset, quo tempore angelus descende-
debat, ut aquam moveret; indicare.

(2) Tract. 2 in Ioan.

(3) Comment. in Galat. c. 4, v. 4.

quot vicibus in singulos annos vel menses aut hebdomadas hoc fiebat, atque determinare, cur unus tantum curabatur. Propter defectum itaque harum circumstantiarum miraculum istud, inquit, incredibile redditur. III. Quaerit, ane languentes, caeci, claudi et aridi in aquam sese immittere possint? ane probabile sit, languidum, quem Christus sanasse dicitur, tandiu frustra expectasse, ut aquae ab angelo moverentur? IV. Quaerit, an dignum Christo eiusque caritate fuerit, ut ex tam multis languentibus, caecis, claudis, aridis, qui ibi iacebant expectantes aquae motum, unum dumtaxat sanaret? V. Unde ulterius infert, illum languidum, quamvis triginta et octo annis infirmitate laboraverit, tamen tunc primo, quando Christus cum eo colloquutus fuit, naturaliter ab illa convaluisse, et Christum, qui noverat statum hominis, absque intentione faciendi miraculum illi simpliciter dixisse, ut surgat, tollat grabatum suum, et ambulet. Equidem si Christus omnes sanasset, istum quoque, de quo hic sermo est, miraculose sanatum fuisse credi posset; at cum istum tantum sanatum fuisse legatur, non per miraculum, sed naturaliter id ei contigisse dici debet. Ita concludit Woolstonus. VI. Denique quaerit, quomodo per hierosolymitanum magistratum factum fuerit, ut infirmiores tantum illarum aquarum beneficio fruerentur? Verum impiae hae Woolstoni argutiae haud adeo difficulter refelli possunt.

76. Nam ad primum q̄. Quamvis solus Ioannes, et praeter ipsum nullus alius evangelista (nam de Iosepho postea dicemus) huius miraculi mentionem fecerit, tamen Woolstonus, si historiae et critices regulas

(1) Vide supra sect. 2, n. 20

attendamus, fidem ei detrectare non potest. Saepe enim unus historicus factum aliquod, ex. gr. alicuius regis aut personae celebris, narrat, quod alius, qui eiusdem regis aut personae res gestas conscripsit, tacet. Modo ergo, qui tale factum refert, vir gravis et fide dignus sit, modo ipsum factum nihil impossibile aut improbable in se habeat, inde incredibile videri non debet, quia de eodem facto ab uno et non ab aliis scriptoribus mentio facta fuit. Etenim cur unum, aut alterum ab aliquo scriptore omittatur, ab alio non item, multae rationes subesse possunt, nobis saepe incognitae, quin ideo de historica veritate talis facti, quod unus narrat, et alii omittunt, dubitare fas sit, saltem si scriptor in iis, quae ab aliis omissa sunt, omnem prorsus fidem mereatur, illaque non solum non repugnant, sed etiam ei, cui tribuuntur, valde convenientia sunt. Quamvis ergo solus Ioannes paralyticum illum apud probaticam piscinam a Christo sanatum fuisse referat; tamen, quum et s. evangelista etiam ut historicus omnem fidem mereatur (1), et non inconvenienter haec quoque sanatio, non secus ac aliae multae quae apud evangelistas leguntur, virtuti Christi conveniat, inepte atque imperite Woolstonus huius rei veritatem impugnat.

Cum autem ad negandum istud Christi miraculum Iosephi iudaei silentium de probatica illa piscina adduxit, imitatus est infelices anabaptistas, qui pariter hanc de probatica piscina historiam, teste Salmerone (2), e medio tollere conabantur, ea de causa, quod Iosephus diligentissimus scriptor rerum iudaicarum nullam de illa mentionem faciat, et de eadem nihil in veteri

(2) Tom. 6, tract. 6, de miraculis Christi. pag. 118.

Testamento dicatur, cum templum describitur. Sed nihil mirum est, si de piscina illa Iosephus nil scribat. Nam non omnia, quae ad iudaicam historiam pertinent, in suis scriptis commemorat. Sic ex. gr. nihil in illis invenitur de historia Iudith, quae tamen propria est gentis iudaicae et veteris Testamenti. Sunt tamen nonnulli auctores, qui probabile autumant, Iosephum probaticae piscinae alicubi mentionem aliquam facere (1). Verum tametsi eam nullibi faceret, quidnam tandem inde pro se Woolstonus cum anabaptistis colligere potest? An non saepenumero fit, ut historici aliquando id omittant, quod nos observatione dignum putamus? Caeterum, transmissio quod Iosephus de probatica piscina sileat, non tamen de illa silet Tertullianus, et quidem in lib. contra iudaeos ubi ita ait: « Lex et prophetae usque ad Ioannem fuerunt, et piscina Bethsaida usque ad adventum Christi, curando in valetudines ab Israël: desiit a beneficiis deinde, cum ex perseverantia furoris sui nomen Domini per ipsos blasphemaretur. » Quae vera esse dubitandum non est, cum a Tertulliano ipsis iudaeis tam confidenter obiecta sint. Similiter s. Hieronymus testis oculatus (2) de probatica piscina haec habet: « Piscina in Ierusalem, quae vocatur προβατική, et a nobis interpretari potest pecualis. Haec quinque quondam porticus habuit; ostendunturque gemini lacus, quorum unus hybernus pluvis adimpleri solet, alter mirum in modum rubeus, quasi cruentis aquis, antiqui in se operis signa testatur.

(1) V. cl. Thomam Cerboni, loc. cit., p. 102.

(2) De locis hebraicis, v. Bethsaida.

(3) Recte dicit s. Hieronymus, quod piscina probatica interpretari possit: piscina pecualis. Nam, ut Calmetus in suo dictio-

Nam hostias in eo lavari a sacerdotibus solitas ferunt, unde et nomen accepit (3). » Ergo ex Iosephi de hac piscina silentio nec Woolstonus, nec anabaptistae aliquid efficaciter probare possunt.

Neque anabaptistae contra veritatem illius piscinae quidpiam evincunt ex silentio veteris Testamenti de eadem piscina. Quamvis enim de hac vetus Scriptura nihil aperte dicat, insinuat tamen piscinam hanc l. 2. Paralip. cap. 4, quando meminit maris aenei, ter et mille metretas, sive batos continentis, et decem concharum quinque ad dexteram, et quinque ad sinistram positarum, in quibus lavabantur omnia sacrificia offerenda. Ideo enim opus erat conceptaculis aquarum, quae per subterranea effunderentur loca, et aperte Aristaeas (4) horum conceptaculorum meminit his verbis: « Aquarum vero receptacula, quae plurima ad diluendum ingulatarum hostiarum sanguinem funduntur, commodis locis occultantur. . . . Sed mirabilius est et fere inenarrabile, subterraneorum conceptaculorum magnitudo: quae ad quinque usque stadia per circuitum templi cuncta penetrat: plumbeae ad ea fistulae quaecumque per muros ac templi solum, quibus omnia abluantur, mudenturque, descendunt. Sunt et apud arae basim frequentes aperturae, omnibus (nisi his, qui ministrant) incognitae, quarum influxu ac impetu omnis ex hostiarum multitudine cruor purgetur. Receptarum autem aquarum multitudinem per hunc modum coniecitavimus. Nam cum nos stadia quatuor ultra urbem

nario biblico erudite observat, piscina probatica lotioni ovium et hircorum ad usum sacrificiorum destinata erat: unde nomen probatica, ex graeco προβατων, ovium, vel pecus.

(4) L. de 70 interpret. ad Philocratem.

duxissent ad quemdam locum, iubent nos subterfuentium undarum sonitum audire, qui mihi quidem magnorum vasorum confluxus visus est. » Haec *Aristeas*. Ex cuius verbis, ut *Salmeron* (1) recte observat, conicitur, facile accidere potuisse, ut aquae illae per occultas fistulas in piscinam probaticam influerent, atque iterum ex ea per alios meatus extra urbem effunderentur.

77. AD 2. R. *Woolstonium* inepte conqueri, quod circumstantiae, quas ipse recenset, non fuerint a *s. Ioanne* commemoratae. Nam, ut *Ioecherus* (2) contra generalem illam *Woolstoni* propositionem, evangelistas, nimis diminute nobis miracula Christi referre; recte observavit: « Sufficiens circumstantiarum commemoratio sit, e sine historiographi diiudicandum est. Quodsi ille prolixos et completos commentarios molitur, prorsus nihil praetermittere debet; ad quam legem se nequam astringit, qui modo compendium meditatur. Iusta de operibus Christi volumina condere apostolis non erat in animo, quippe quibus capiendis mundus non suffecisset (Ioan. 21, v. 23); ad compendium autem nihil amplius requiritur, cum primis si ea quae traduntur ad formandas de rebus gestis notiones satis sunt apta: quod de quovis miraculorum (Christi) speciatim evinci potest. . . Si evangeliorum conditores sunt testes fide digni, sufficit eos commemorare, claudos, caecos, et alios aliis morbos vexatos homines, Christum adisse. Si hanc eis laudem denegamus, neque prolixior morborum descriptio iisdem conciliatura est fidem. » Ita *Ioecherus*. Igitur necesse non fuit, ut evangeli-

(1) Loc. cit. pag. 119.

(2) In examine paralogismorum *Thomae Woolstoni* de miraculis Christi. Dissert. 3, num. 4.

sta, narrans prodigiosam sanationem paralytici ad probaticam piscinam, illas, quas *Woolstonus* recenset, circumstantias commemoraret. Quandoquidem et veritatem illius miraculi, a Christo patrati necesse haud erat nosse, quo determinato tempore quotve vicibus angelus descenderet, ut aquas moveret, et num plures vel pauciores antea sanati essent. Expressit tamen *s. Ioannes* ea, quae ad miraculum illud, quod ibi enarrare sibi proposuit, rite describendum oppido conducebant. Sic diuturnam infirmitatem illius paralytici a Christo sanati refert, dicens (3): *Erat autem quidam homo ibi, triginta et octo annos habens in infirmitate sua*. Et probaticam piscinam cum omnibus circumstantiis accurate describit: « Quae quidem describitur, inquit *s. Thomas* (4), ex quatuor, scilicet ex nomine, ex dispositione, ex inhabitatione, et ex virtute. Ex nomine quidem, cum dixit: *probatica piscina*. Probatum enim graece ovis dicitur. Probatum ergo piscina quasi oviaria dicitur, ex eo quod sacerdotes cadavera bestiarum et praecipue ovium, quae ut plurimum in sacrificiis offerebantur, ibi abluebant. — Ex dispositione autem describitur, quia erat *quinque porticus habens*, scilicet per circuitum, ut multi sacerdotes absque impedimento commode starent ad lavandum cadavera bestiarum. — Ex inhabitatione autem describitur, quia in his, scilicet porticibus, *iacebat multitudo magna*. Cuius literalis ratio est propter occursum omnium infirmorum ad virtutem aquae. — Ex virtute vero describitur piscina, quia sanat ab omni infirmitate corporali virtute angeli descendentis. Et ideo dicit: *Angelus autem Domini descendebat secundum*

(3) Ioan. c. 5, v. 5.

(4) Lect. 1 in Ioan. c. 5.

tempus in piscinam, et movebatur aqua. »

78. AD TERTIUM R. Si qui erant, qui huiusmodi infirmitate laborarent ut per se in aquas intrare non valerent, aliorum ope hoc consequi poterant. Hinc languidus, quem Christus sanavit, hominem se non habere dolebat, a quo in piscinam mitteretur, quando aqua illius turbata foret (1). Extraordinarium autem patientiae exemplum hunc languidum aliis praebuisse, dum per spatium triginta et octo annorum expectavit, ut sanaretur, negari quidem non potest; ideo tamen dici non debet, impossibile fuisse, ut tanto intervallo temporis patientia illius non frangeretur. Et re vera patienter se semper habuisse, inde quoque merito conici potest, quia per miraculum a Christo tam misericorditer ac statim sanatus est.

79. AD QUARTUM R. Et dico, enormem prorsus *Woolstoni* esse impudentiam, qua rationem agendorum ipsi Christo praescribere ausus est. Verum, quam inepte hunc paralyticum a Christo sanatum non esse, inde inferat, quia non omnes curati sunt, nunc expendamus. Ponamus, unum e multis, qui ad supplicium damnati sunt, regis clementia liberatum esse, quia ex gr. Rex aliquid speciale in eo perspexit, quod ad misericordiam illum inclinaverit. Certe tunc mala esset haec argumentatio: rex, licet posset, non omnes, qui ad supplicium damnati sunt, liberavit: ergo neque istum liberatum esse dici debet. Huiusmodi autem argumentatio illa est, qua utitur *Woolstonus*. Sed quoniam caritati Christi adversari asserit, unum dumtaxat ad piscinam illam fuisse a Christo sanatum: beneficentiam regis tantam fuisse ponamus, ut saepissime etiam non rogatus miseris opem tulerit, rogatus vero omnium, qui se obtulerunt, indigentis prospexerit; tamen aliquando unius tantum necessitati subveniret, quia ex gr. sua ope eum peculiariter dignum esse vidit, ceteros autem ob certam aliquam causam praeterierit. Quaero, an talis rex misericordia praeditus non esse dicendus est? Bella sane haec foret illatio! Applicemus iam hanc paritatem ad Christi Domini gesta et beneficentiam. Christus fuit, qui, dum *castella et civitates circumivit . . . curavit omnem languorem, et omnem infirmitatem* (2); cuius *finbriam vestimenti . . . quicumque tetigerunt, salvi facti sunt* (3); ad quem *accesserunt . . . turbae multae, habentes secum mutos, caecos, claudos, debiles, et alios multos: et proiecerunt eos ad pedes eius, et curavit eos* (4); septem panibus, paucisque piscibus quatuor millia hominum satiavit (5), aliaque beneficentissimae suae caritatis argumenta evidentissima exhibuit; attamen apud probaticam piscinam unum tantum hominem ob aliquam rationem specialem, quam divinitus perspectam habuit, sanavit: ergo non fuit insigni caritate praeditus. En! *Woolstoni* illationem non minus inquam, quam primis logicae regulis repugnantem.

80. AD QUINTUM R. Non nisi ab homine pertinacissimo, aut emotae mentis negari posse, paralyticum illum a Christo prodigiose sanatum esse. Quandoquidem per hoc, quod Iesus illi dixit: *Surge, tolle grabatum tuum, et ambula*, statim sanus factus est, quamvis infirmitas tam inveterata in illo esset, ut a triginta octo annis eandem sustineret. Tunc autem vidisse Christum, hominem naturaliter, ab infirmitate convaluis-

mus, ut saepissime etiam non rogatus miseris opem tulerit, rogatus vero omnium, qui se obtulerunt, indigentis prospexerit; tamen aliquando unius tantum necessitati subveniret, quia ex gr. sua ope eum peculiariter dignum esse vidit, ceteros autem ob certam aliquam causam praeterierit. Quaero, an talis rex misericordia praeditus non esse dicendus est? Bella sane haec foret illatio! Applicemus iam hanc paritatem ad Christi Domini gesta et beneficentiam. Christus fuit, qui, dum *castella et civitates circumivit . . . curavit omnem languorem, et omnem infirmitatem* (2); cuius *finbriam vestimenti . . . quicumque tetigerunt, salvi facti sunt* (3); ad quem *accesserunt . . . turbae multae, habentes secum mutos, caecos, claudos, debiles, et alios multos: et proiecerunt eos ad pedes eius, et curavit eos* (4); septem panibus, paucisque piscibus quatuor millia hominum satiavit (5), aliaque beneficentissimae suae caritatis argumenta evidentissima exhibuit; attamen apud probaticam piscinam unum tantum hominem ob aliquam rationem specialem, quam divinitus perspectam habuit, sanavit: ergo non fuit insigni caritate praeditus. En! *Woolstoni* illationem non minus inquam, quam primis logicae regulis repugnantem.

(1) Ioan. c. 5, v. 7.

(2) Matth. c. 9, v. 35. (3) Ib. c. 14, v. 56.

(4) Matth. c. 15, v. 50.

(5) Ibidem, v. 58.

se, delirantis *Woolstoni* commentum est. Quis enim credat, quod ex infirmitate triginta et octo annorum homo naturaliter, absque remediis, in ictu oculi repente convaluerit, idque Christus (iuxta *Woolstonum* purus homo) continuo senserit? Quis, inquam hoc credat, praesertim, cum is ipse, qui sanitatem acquisivit, non aliis mediis, sed virtute Christi sanitatem se acquisivisse palam et coram omnibus professus fuerit, et nemo iudaeorum extiterit, qui contradiceret: immo ipsa rei veritate convicti, cum miraculum a Christo re vera factum fuisse, negare non possent, arguendi illum occasionem inde acceperunt, quod hominem die sabbati curasset (1).

81. AD SEXTUM R̄. Et dico, non satis constare, quid *Woolstonus* velit, quando quaerit, quomodo per hierosolymitanum magistratum factum fuerit, ut infirmiores tantum probaticae piscinae beneficio fruerentur? Ceterum illud rationi conveniens esse dicimus, nihil hac de re a hierosolymitano magistratu fuisse constitutum, sed unicuique permisum, ut, prout vellet, atque indigeret, suam salutem per illas aquas recuperare conaretur: unde *ibi iacebat multitudo magna languentium caecorum, claudorum, aridorum, expectantium aquae motum* (2).

82. QUÆRES XX. An illuminatio hominis a nativitate caeci a Christo facta (Ioan. cap. 9) fuerit verum miraculum? R̄. Affirmative. Nam primo. Certum est, quod hoc Christi factum fuerit publicum, et universae civitati notum. Hominem enim illum a nativitate caecum fuisse, non solum testati sunt parentes eius (3); sed omnibus id notum erat, cum in publico loco sedere

(1) Ioan. c. 5, v. 16.

(2) Ibid. v. 5.

(5) Ibid. c. 9, v. 20.

(6) Ibid. v. 8.

(5) Ibid. v. 16.

(6) Ibidem.

consuetus ille a quolibet transeunte tanquam homo caecus a nativitate eleemosynam peteret (4). Secundo. Ipsi adeo pharisaei, audito hoc prodigio, in admirationem rapti sunt, ita, ut schisma inter eos oriretur, et aliqui ex illis dicerent (5): *Quomodo potest homo peccator haec signa facere?* Tertio post institutam etiam iudicalem huius facti cognitionem pharisaei, et ipsius caeci, et parentum eius testimonio convicti, deprehenderunt, hunc hominem re vera fuisse a nativitate caecum, et a Christo illuminatum. Quarto. Unde hi ipsi iurati hostes Christi veritatem miraculi negare non potuerunt; nihil enim aliud contra factum istud dicebant, quam (6): *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.* Nam in die sabbati (7) hunc caecum Christus illuminavit. Cum igitur de veritate alicuius facti certissime constat, quando illud non solum ex testimonio famae publicae, sed etiam ex confessione eorum, qui id quam maxime vellent non contigisse, re vera contigit, manifeste consequitur, illam miraculosam illuminationem hominis a nativitate caeci a Christo certissime fuisse peractam.

83. Sed audiamus, quid increduli, praecipue *Woolstonus* contra hoc miraculum opponat, eiusque impias cavillationes refutemus. Igitur Scripator iste anglicanus (8) sequentia opponit. Primo. Oculi, inquit, multiplicibus morbis obnoxii sunt, quorum alii natura atque arte curari possunt, alii non item. Inde vero est, ut certo definiri non possit, num caecus, cui facultatem videndi (Ioan. cap. 9) Christum contulisset legitur, per miraculum sanatus fuerit; non enim certo constat, utrum

(7) Ibid. 14.

(8) Disc. 4 et 4. On the Miracles, seu De Miraculis.

caecitas illa oculorum natura vel arte depelli non potuerit. Secundo. Equidem, si Iesus nullis adhibitis remediis fecisset, ut homo ille statim videret, tunc miraculo locus esse posset: at cum humanis usus sit remediis, atque ut oculos caeci aperiret, sputo atque luto linierit, et deinde aqua abluendos curaverit, eo ipso dicendum est, nihil per miraculum ab eo fuisse gestum. Tertio. Aliunde autem res ista est omnino incredibilis, prout eam a *Ioanne* peractam esse narratur: nam lutum sputo commixtum quomodo tandem pro oculis salutare remedium esse potest? Quarto. Unde dicendum est, Christum ad remedia medicinae secreto recurrisse, et cum aliquid balsamicum aptum ad depellendam caecitatem in ore teneret, saliva eodem balsamico iam imbuta oculos caeci linivit, ut sic operaretur, quod operatus per miraculum fuisse iactatur. Huc usque *Woolstonus*.

Verum R̄. AD PRIMUM. Etiam nos fatemur, nonnullos morbos oculorum natura atque arte curari posse, alios non item. At huuc, de quo loquimur, natura et arte curari potuisse, quomodo *Woolstonus* probabit? Profecto (1): *A saeculo non est auditum, quia quis aperuit oculos caeci nati*, uti etiam in arte medica peritiores consentiunt (2): ergo arte, vel industria a caecitate curari non potuit.

AD SECUNDUM dicendum, adhibitis remediis tunc solum veritatem miraculi enervari, quando illa vim naturalem, aut proportionem congenitam in se continent ad producendum effectum: fatente autem i-

(1) Ioan. c. 9, v. 32.

(2) Ita *Ioacherus* altera dissert. de Examine paralogismorum *Thomae Woolstoni*, de miraculis Christi, n. 2.(3) Vide cl. *Bullet* tom. 5. Réponses critiques, n. 56 ad finem.

pso *Woolstono* lutum sputo commixtum, quod Christus in curando hoc caeco adhibuit, depellendae caecitati obest potius, quam prodest. Ergo quamvis Christus memorata remedia adhibuerit, tamen curationem per miraculum factam fuisse dici debet.

Neque nobis opponant increduli (3) auctoritatem celebris medici ocularii *dom. Gendron*, qui ad depellendos morbos oculorum saepius nullum aliud remedium praescripsit, quam usum communis balnei, aut lotionem; ferme sicut Christus caecum illum iussit lotionem uti: *Vade, lava in natatoria Siloë. . . Abiit ergo, et lavit, et venit videns* (4). R̄. enim, et dico, *dom. Gendron* utique iis, qui oculorum inflammatione laborabant, nil nisi usum frigidae praescripsisse, sed caecos a nativitate hoc remedio curare nunquam tentavit. Ceterum Christus caecum a nativitate poterat quidem solo verbo curare, ut sanavit caecum prope Iericho (5), aut solo tactu visum restituere, ut fecit cum duobus caecis, *Matthaeo* teste (6): voluit autem pro sanctissima sua voluntate, quando hominem a nativitate caecum curavit, mediis quibusdam et instrumentis uti: *Fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos eius, et dixit: Vade, lava in natatoria Siloë*, non quasi virtute naturali horum mediorum coeco restituendum esset lumen oculorum, sed ex aliis sapientissimis causis, quarum plures recenset *Salmeron* (7) et nominatim causam, cur caecum illum ad natatoria *Siloë* miserit, cum *s. Thoma* (8) assignat istam, ut il-

(4) Ioan. c. 9, v. 7.

(5) Luc. c. 18, v. 42 et 43.

(6) Cap. 9, v. 29 et 30.

(7) Tom. 6, tract. 6 de miraculis Christi, p. 255 et 254.

(8) Lect. 4 in Ioan. c. 9.